TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

VARIOLA.

14

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE VARIOLA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

DANIEL PROUDFIT,

Civis Reipublicæ Novi Eboraci:

COLUMB. SOCIET. NOV. EBORAC. SOC.

NEC NON

SOCIET. AMER. MED. PHILADELPH. SOC. EXTR.

NEC NON

SOCIET. AMER. PHYS. EDIN. SOC. EXTR.

"*Tristius haud illa monstrum, nec sævior ulla*
"*Pestis et ira Deum Stygiis sese extulit undis.*"

VIRG.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCV.

JOANNI PROUDFIT, Armigero, S. P. D.

Daniel Proudfit.

Causæ, frater cariſſime, cur hoc opuſculum tibi dicem, revera multiplices ſunt. Cum vero numeroſiores ſint, quam quæ, hoc in loco, poſſint commemorari, eas ſilentio prætereundas duxi. Tantas vero eſſe palam confitear oportet, quantæ mihi e memoria nunquam excident, et me te, per totum vitæ decurſum, non tantum pro fratre generoſo, ſed pro vero caroque amico eſſe habiturum.

Valetudine commodiſſima, ſumma felicitate, et omni ſolatio, quod vita præſens viro digno poteſt ſuppeditare, per longiſſimum annorum ſpatium, frui pergas.

Vale.

Edinburgi, idibus Junii, dabam.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

NULLUS morbus eſt, qui attentionem medicorum in ſe magis convertit, quam variola, et forſitan non alius eſt, qui exitum magis dirum funeſtioremve habuit. Igitur omnis medicus, qui ſaluti et felicitati humanæ conſulere cupit, in naturam ejus accuratiſſime inquirere debet.

Ex quo hic morbus in Europa ſeſe oſtendit, tantam diverſis temporibus ſtragem edidit, ut de ea, in momentum etiam, cogitare, mortales ſummo horrore non afficere non poſſit.

Per fecula multa, in nationes diverfas, quæ orbem terrarum tenent, magnopere fæviit, et medicamentis efficaciffimis parere recufavit, a tempore Arabicorum medicorum, RHAZIS, AVICENNÆ, et HALLI-ABBI, ad feculum SYDENHAMII ufque; cui folertia ingenii naturalis et fagacitas in viam morbo medendi longe aliam procedere, et ad regimen antiphlogifticum decurrere perfuaferunt. In dedecus vero ævi, cui talem tantumque virum videre contigerit, memoretur neceffe eft, eum nihil aliud a demonftratione ingenii tam manifefta, quam contumeliam et ludibrium, licet praxis ejus mortales, plerifque in exemplis, feliciffime confervaverit, cepiffe.

In qua regione, aut quo tempore, variola primum apparuerit, ex toto ignoramus; et labores fcriptorum, qui animum ad hanc rem inveftigandam attenderunt, nihil omnino luminis ei offuderunt. Hoc vero faltem compertum habemus, morbum partes Europæ, vel Magnæ Britanniæ, occidentales, feculo undecimo vel duodecimo labente, infeftare confuevifle.

vifle.

viſſe. Quin etiam veriſimile eſt, hunc morbum, ab Arabia in Europam fuiſſe invectum; nam e monumentis medicinæ diſci poteſt, ſævitiem ſuam in Arabes, per multa ſecula, antequam incolis Europæ fuit notus, exercuiſſe. Denique regimen antiphlogiſticum, quod a medicis Arabicis, RHAZI, AVICENNA et HALLI-ABBI, in curatione hujuſce morbi, in uſum fuit revocatum, cur nomina eorum veneratione conſtanter proſequamur, in cauſa eſſe debet.

Variola morbus eſt, qui a contagio ſingulari proficiſcitur, et ab ~~omnibus~~ multis morbis, qui originem a contagione deducunt, hoc evidentiſſime differt, quod corpus humanum, per totum vitæ decurſum, ſemel tantum afficit. Quæ huic opinioni adverſari exiſtimantur, ea omnia fabuloſa eſſe videntur, et nulli fundamento ſtabili innituntur. Igitur quicquid operæ in hoc auctores poſuerunt, id eo contemptu, quem probe meretur, eſt accumulandum.

Effluvium ab iis oriundum, qui variola conflictantur, vel qui eadem extincti fuerunt, typhum excitare poſſe haudquaquam inficior. Immo mihi animus inclinat, ut virus varioloſum

fum, quod e corporibus morbidis emanat, effectum hujufcemodi edere ex toto credam. Qui juvenes in cadaveribus eorum, qui, in Nofocomio Edinenfi, hoc morbo fuerunt rapti, incidendis fuerunt occupati, ii in typhum illabi periclitabantur, et vita eorum non raro in fummum periculum fuit adducta *.

Nulla anni tempora certa, ut hic morbus epidemice graffetur, facere poffe videntur. Illuftriffimus tamen SYDENHAMIUS memoriæ prodere non dubitat, variolam non abnormem, aut modice mitem, fub æquinoctium vernum, fefe oftendere folere †; fed mihi perfuafum habeo, variolam, et folitam et anomalam, omnibus, quotquot funt, anni temporibus, invadere poffe. Me judice vero, admodum probabile effe videtur, et variolam et reliquos morbos, qui febriles appellantur, a ftatu cœli fingulari pendere. Mihi quidem volupe eft notare, virum jure quidem clariffimum Doctorem GREGORIUM in hanc eandem fententiam conceffiffe, cum in prælectionibus fuis, quam frequenter

* Vid. Doc. WALK. Tract. de Variola.

† Vid. Tom. Prim. pag. 151.

ter, et unde febres contagiosæ oriantur, exponit.

Vir illustris VAN SUITENIUS testatur, variolam, in tempus diuturnum, Viennæ invaluisse; sed modo leniter, modo graviter grassatam fuisse. Doctor SYDENHAMIUS memoriæ posterorum tradit, variolas, quæ mense Januarii oriuntur, a typo communi deflectere, et mortalibus summo exitio nonnunquam esse*.

Insuper variola, temporibus anni calidissimis, omnia sua signa leniora et mitiora habet; et, contra, multo plus gravitatis, mensibus hiemalibus, et vice versa, ostendere solet. Hinc non solum morbus, pro rata parte, frequentius accedit; violentia vero ejus magnopere intendi videtur, et etiam a conditione cœli singulari pendere vulgo existimatur. Et nullus forsitan morbus est, qui contagionem suam cum corporibus facilius communicat, quive aëra, orbi terrarum circumdatum, magis corrumpit et inquinat.

Quanto temporis spatio, contagium corpori applicatum morbum moveat, perquam incertum

Vid. Tom Prim. pag. 265.

tum esse videtur. Vir doctus vero RUTHERFORDIUS pater, ubi in prælectionibus suis, de usu medicinæ practico, hunc morbum exequebatur, quo spatium verum, quo contagio variolæ naturalis effectus suos febriles edat, pro certo comperiretur, quod sequitur memoriæ posterorum tradidit, catervam militum, per vicum, ubi variola epidemice grassaretur, iter facientem, signa contagii, quo fuerant imbuti, ab duodecimo ad decimum quintum diem usque, ostendisse*. Hoc vir clarus inductus tempus, modo commemoratum, pro solito habebat. Quinetiam Doctor GEORGIUS FORDYCE, in cujus observationibus summa fiducia collocari potest, in eandem sententiam concessit, exemplis nonnullis, quæ viderit, motus †.

Hæc doctrina vero, non fundamento stabili et inconcusso inniti videtur; namque de veritate ejus, inter summos viros, nondum ex toto convenit. Eruditissimus GREGORIUS filius asserere non dubitat, contagionem variolosam, corpori admotam, vim suam febrilem, a tertio die,

* Vid. Lond. Med. Transf. pag. 5. Ann. 1793.

† Vid. Loc. citat.

die, ad decimum quintum uſque, oſtendere poſſe. Inſuper in eos, qui, dum pus varioloſum illis inſeritur, magno terrore afficiuntur, maturius agere videtur; et effectus, ſi fides opinioni vulgari habenda, magis exitiales edit.

Exemplum, quod ſubſequitur, me judice, quam parum regulariter contagio varioloſa, corpus in humanum, agat, probare videtur.

Ad puerum arceſſitus ſum, cujus pater mihi dixit, ſe eum variola correptum eſſe putare; namque puerum, qui, in vicinia, hoc morbo laborabat, et poſtea eodem extinctus eſt, ante dies novem decemve, inviſerat. Multas papulas exiguas, in facie præſertim, et in reliquis quoque corporis partibus, conſpexi, quæ varioloſas plurimum retulerunt; ſed maculæ abnormes inter eas, hic illic, intercedebant. Febris non modica fuit, nonnihil ſitis eum infeſtavit, et tremores inuſitatiſſimi in ſomnum illapſurum invaſerunt, qui eum quoque, in gremio materno, oculis apertis, decumbentem, occupaverunt, adeo ut convulſiones graviores acceſſuræ eſſe viderentur. Hæc ſigna in cauſa fuerunt, cur morbum variolam

eſſe

eſſe crediderim, et uſum aëris frigidi purique, purgationem alvi leniorem, potionem frigidam, vel acidum vegetabile dilutum dulceque redditum, præceperim.

Cum die proximo fuiſſem reverſus, me morbum ab omnibus aliis ſecernere valiturum eſſe ſperans, ſumma admiratione fui affectus, cum eruptionem nihil mutationis omnino, per ſpatium totum viginti quatuor horarum, ſubiiſſe comperi. Et quidem, in eodem ſtatu, per quinque vel ſex dies, cum omnibus ſignis ſupra comprehenſis, manſit, et deinde puſtulæ evanuerunt; ſed febris, nulla ex parte, lenita eſt. Iterum arceſſitus ſum, et, ſummo cum gaudio, puſtulas, quæ revera varioloſæ fuerunt, corpus in univerſum ſemet diffudiſſe notavi. Hoc autem die ſexto, poſtquam eruptio proxima deceſſerat, incidit. Puer, in præſentia, puſtulas plurimas, ſed diſcretas, et bene repletas, habet; et eum, pauculis diebus, ex hoc morbo graviore emerſurum eſſe confido.

Ex hoc exemplo univerſo, morbum pueri primarium a contagione varioloſa ortum deduxiſſe,

duxiſſe, clare conſtabat. Ex quo morbus primum apparuit, donec vera variola ſemet oſtendit, ſedecim vel ſeptemdecim dies elapſi ſunt, et, per totum tempus, febris urgebat.

Veram morbi diagnoſin, ſub initia, tradere in primis difficile fuit; ſed eventus, ad extremum, votis reſpondit. Cauſas vero inſolitorum phænomenorum exponere non poſſum, et nullum exemplum ei ſimile unquam vidi aut audivi.

DEFINITIO MORBI.

" Synocha contagioſa, cum vomitu, et ex
" epigaſtrio preſſo dolore: Tertio die incipit,
" et quinto finitur, eruptio papularum phleg-
" monodearum, quæ, ſpatio octo dierum, in
" ſuppurationem, et in cruſtas demum, ab-
" eunt; ſæpe cicatrices depreſſas, ſive foveo-
" las in cute relinquentes*."

Quantum ad variolam diſcretam attinet, ea
" puſtulas paucas, diſcretas, circumſcriptione

* Vid. Cul. Synop. tom. xi. pag. 132.

" circulares, turgidas, habet, et febris, erup-
" tione facta, protinus cessat."

Quod vero Variolam confluentem spectat, ea " pustulas numerosas, confluentes, circum-
" scriptione irregulares, flaccidas, parum ele-
" vatas, habet, et febris, post eruptionem, per-
" stat."

HISTORIA.

Antequam febris variolosa semet in conspectum dat, non raro languorem, inertiam, anxietatem, et magnum inquietudinis gradum, queritur ægrotus; quod, ut membra corporis frequenter distendat, oscitetur molestiamque sentiat, facit. Et his signis adjunguntur, frequenter, dolores obtusi, in ossibus, et in diversis aliis corporis locis, ut dorso, lumbis, &c. alte siti, qui morbum appropinquare testantur.

Morbus a rigore et horrore incipere consuevit, qui sæpissime, circa meridiem, accedunt. Hos brevi excipiunt, dolor capitis vehemens, febris, et ea quæ eum constanter comitantur,

cutis

cutis calor, lingua arida et ficca, et fitis immodica. Pulfus arteriarum frequentes, duri, validi et pleni evadunt.

Ægrotus interdum magnopere ægrotat, et multum moleftiæ fentit. Ventriculus ei fæpenumero perturbatur, et dolor acutiffimus in regione epigaftrii æque frequenter oritur, potiffimum fi preffuræ fuerit objecta; et hunc aliquando naufea et vomitio fubfequuntur. Spiritus fæpe acceleratur, et accedunt oppreffio et fenfus ponderis fub fterno, et fingultus.

Quidam adulti, fi in lecto decumbitur, ad fudandum proclives funt; et infantes, inter dormiendum, tremoribus nonnunquam corripiuntur, immo non raro, convelluntur. Hoc etiam fpeciem hujufce morbi mitiffimam, quibufdam in cafibus, præcedit, cujus nonnulla exempla vidi.

Ægrotantes in lecto multum cubare cupiunt, et interdum figna ftuporis et comatis evidentia oftendunt. Hæc figna, ut jam fuit comprehenfum, in tres quatuorve dies, magis minufve

vehementia,

vehementia, pro lenitate morbi vel gravitate, manent.

Circa finem hujufce ftadii, parvulæ rubræ puftulæ in facie, collo et pectore prius oriuntur, et deinde brevi in corpus univerfum fefe diffundunt. Paulatim in veficulas exiguas eminentiores affurgunt, quæ, fub initium, aliquantum lymphæ ferofæ vel pellucidæ continent. Harum inflammatio pergit, et, circa feptimum vel octavum diem, pus verum progeneratur, quod gradatim arefcit, et demum in cruftas ficcas abit, quæ aliquot cicatrices, vel faveolas, in cute relinquunt.

Papulæ multum inflammationis, circa bafes, fæpe habent, quæ non folum oculis evidentiffime videri poteft ; fed etiam, ut cutis tacta magnopere doleat, potiffimum, cum in lecto decumbitur, et fuperficies corporis ægrotantium pondere fuo premitur et irritatur, facit. Hanc ob caufam, infantes nonnunquam perquam intractabiles evadunt. Inflammatio ab una puftula ad vicinas, et ab his ad alias, fe-

met

met diffundens, cutem univerſam colore rubro, vel damaſceno, impertitur.

Simul ac variola matureſcere incipit, facies, præſertim circa oculos, tumeſcit, qui ſæpe occluduntur, et rigeſcunt. Per hoc ſtadium, ſaliva ſæpe, magna quantitate, excernitur, quod ſummam ægrotanti moleſtiam faceſſit. Quinetiam, cum magna debilitas ſubſit, ex ore difficillime expuitur. Die ſexto ſeptimove, raucitas et cynanche tonſillaris ſæpe invadunt, quæ poteſtatem devorandi difficilem et dolentem efficiunt; immo ex toto tollunt. Hinc fit, ut ægri, devorare conantes, cibum, quem ſumere volunt, per nares vel os, momento, violenter expellant.

Die decimo vel undecimo, tumor faciei decreſcit, dum alter, in manibus et pedibus, qui, puſtulis matureſcentibus, aliquantum ſubſederat, incipit naſci. Hoc tempore, aliquid febris apparet, præſertim ſi puſtulæ faciei ſint numeroſæ. Cæterum iterum, puſtulis ad maturitatem vergentibus, decedit; vel interdum, donec

nec variolæ manuum pedumve evanuerint, modica lenifque manet *.

Quæ febris variolam difcretam comitatur, ea eft fynocha, vel inflammationem habet.

Signa fpeciei confluentis difcretæ propria referunt, fed vulgò graviora funt, et ægrotantem periculo multo majori fubjiciunt. Febris, ante eruptionem, concitatior eft. Anxietas, dolor et perturbatio ventriculi majora. Nonnunquam quoque naufea gravisque vomitio oriuntur, quinetiam fubfunt anorexia magna, et alimentorum omnium infuperabilis fere averfatio.

Ægri delirio fæpiffime tentantur. Contra vero, interdum ftupore magno et comate afficiuntur. Infantes frequenter in diarrhæam, et paroxyfmos epilepticos incidunt, quod conftanter pro figno malo habendum.

Ictus arteriarum frequentes, et exiles evadunt, et typho proprios reddunt; fpiritus opprimitur et citatur, et dolores etiam in vifcera thoracis aliquando invadunt.

Tumefcit magnopere facies, et expuitur plurimum

* Vid. Cul. Prim. Lin. tom. i. pag. 274.

rimum salivæ. Puſtulæ maturime apparent, et in facie numeroſiſſimæ ſunt, forma perquam abnormes, et confluentes.

Eruptione ad finem perducta, febris minime decedit, ſed ſuppurationem, per omnia ſua ſtadia, comitatur; et ſæpe, decimo undecimoque diebus, quibus periculum hujuſce morbi maxime reformidandum eſt, et ſtrages horrenda nonnunquam in ægrotantes editur, plurimum intenditur.

Petechiæ, et maculæe ryſipelatoſæ, inter puſtulas aliquando notantur. Quinetiam ſanguis ex aliqua parte profunditur. Doctor HELVETIUS quorundam caſuum mentionem injicit, in quibus ſanguinem, una cum urina et fæcibus, ex ore et naribus, dum ægrotus tuſſiebat, expelli conſpexit *.

SAUVAGESIUS celeberrimus, de variola confluente nigra agens, memoriæ poſterorum tradit, excretiones alvinas, urinam, ſputum, vomitionem et lachrymas, nonnullis in caſibus, ſanguine eſſe tincta, intervalla puſtularum nigreſcere, et paroxyſmos febriles violenter ſævire,

* Vid. Tract. de Variola, pag. 121.

vire, et hanc ſpeciem, ſecundo tertiove die, exitio eſſe ſolere *.

Cum hæc ſpecies maxime violenta et exitioſa eſt, ingenioſiſſimus CULLENUS refert, ægrotos miſerandos, ante diem octavum, nonnunquam conſumi; ſed hunc eventum, exemplis in pleriſque, ad diem undecimum, quo mortales rapi maxime periclitentur, et interdum ad decimum quartum decimumve ſeptimum differri ſolere †.

SYDENHAMIUS ſe nunquam variolam, poſt diem ſeptimum, præterquam in exemplis quorundam annorum anomalis, morte finiri vidiſſe, affirmat; et, in his, ægrotantes, circa diem decimum quartum, vel decimum ſeptimum, diem ſupremum plerumque obiiſſe ‡.

DIAGNOSIS.

Omnes morbos, quam certo quamque cito fieri poteſt, a ſe invicem ſecernere medici debent. Hoc in morbis, quotquot ſunt, magni momenti

* Vid. Noſol. Method. tom. ii. pag. 428.

† Vid. Prim. Lin. pag. 277.

‡ Vid. tom. i. pag. 320.

momenti eſt, et majoris forſitan in nullo, quam in variola. Medicus enim morbo venienti, quod tantum e primis ſignis, ſemet oſtendentibus, diſci poteſt, pro virili occurrere debet; namque ab hoc ſalus ægroti plurimum pendet. Neminem enim, qui medicinam labris primoribus deguſtavit, latere poteſt, quam neceſſe ſit, contagionem ex toto præcavere, vel, ſi hoc fieri nequeat, vim ejus diminuere; ſigna, quæ maxime urgeant, diminuere, et violentiam morbi periculoſiſſimi limitibus anguſtiſſimis circumſcribere.

Nil medicos, in diagnoſi vera tradenda, plus adjuvare poteſt, quam animum ad morbos, epidemice graſſantes, conſiderandos adjungere, et, num necne ægrotus contagioni varioloſæ pateat, accurate examinare. Quinetiam rigor febrilis, dolor ventriculi, nauſea, vomitio, et paroxyſmi epileptici, qui infantes corripiunt, medicum ſagacem ad veram diagnoſin recta ducere valebunt.

Cum vero papulæ in ſuperficie apparuerunt, variola cum varicella et rubeola confundi, ali-

qua ex parte, periclitatur. Namque a variola, per cutem duram, tuſſim ſiccam et moleſtam, epiphoram, facile dignoſcitur rubeola. Quin-etiam, hoc in morbo, maculæ cutis magis abnormes ſunt, et non tam rotundæ, quam varioloſæ. Inſuper admodum rubeſcunt, et inter ſeſe inſigniter confluunt. Præterea, in rubeola, oculi, ſemper magis minusve inflammantur, et lachrymæ multæ ex iis profluunt ; palpebræ tumeſcunt, et multum muci e naribus profunditur. Papulæ rubeolæ, in morem earum variolæ propriarum, in puſtulas nunquam elevantur, et multo citius in cruſtas furfuraceas, quam varioloſæ in ſuppurationem, abeunt.

Puſtulæ varicellæ magis varioloſas reddunt, quam aliis morbis propriæ. Nonnulla exempla vidi, in quibus a ſeſe invicem non facile poſſent diſtingui. Puſtulæ largæ fuerunt, et pure flavo bene repletæ ; ſed infantes variola antea laboraviſſe, et varicellam, non variolam, eo tempore, epidemice graſſari, compertum habebamus.

Inſuper

Insuper febris varicellæ, quæ eruptionem antecedit, plerumque levis et brevis est. Papulæ varicellæ citius in papulas, quam variolosæ, abeunt, quamquam vix suppuratione perfecta finiuntur. Materia, quæ iis continetur, sæpe fluida manet, et nullo modo pus variolosum refert. Denique pustulæ varicellæ in squamulas, non crustas, pauculis diebus, desinunt *.

CAUSA REMOTA.

Quod seminium hujusce morbi unicum constituit, id est morbo non antea laboravisse. Quæ causa vero morbum excitat, ea revera est contagio singularis, cujus natura et origo mortales adhuc omnino latuerunt. Et quidem perspectæ violentiæ morbi, et gravitati, forsitan non multum succurrerent. Namque paucissima exempla habemus, ubi natura rerum talium, quales sunt contagia, vel artis chemicæ, vel medicamentorum potentia, multum fuerit mutata.

Contagionem

* Vid. Doc. HEBERDEN. in Med. Transf. tom. i. art. xvii.

Contagionem autem variolofam in corpus, nifi hoc ad illam, per quafdam mutationes antecedentes, fit accommodatum, agere non poffe, minime probabile videtur. Contra, compertum habemus, homines omnis ætatis, et omnis conftitutionis corporeæ, validiffimos et infirmiffimos, hunc in morbum incidere, ex æquo periclitari. Hoc ufus infitionis quotidianus clarum perfpicuumque reddit; infantes etenim valentiores, et valetudine commodiffima fruentes, et tenerrimi morbifque debilitati, contagio, corporibus inferto, abfque ullo difcrimine, afficiuntur. Quinetiam revera nonnulli fœtus, in utero latentes, antequam corpora eorum ullum detrimentum, vel a natura regiminis adhibiti, vel atmofphæræ matribus circumdatæ, capere potuerunt, hoc morbo fuerunt correpti *. Hinc cogi et effici poteft, eos auctores in errorem incidiffe, qui in fententiam concefferunt, fœtus huic morbo non effe opportunos, et ita in fcriptis, quæ in vulgus ediderunt, afferuerunt.

Pus

* Vid. Doc. MEAD. Tract. de Variola: et Edin. Med. Comment. Anno 1794.

Pus variolosum plurimis omnis ætatis, et utriusque sexus, qui valetudine etiam commodissima utebantur, indi vidi, et omnes, uno puero, septem vel octo annos habente, excepto, inficiebantur. Quædam, sed perquam rara sunt exempla, ubi contagio non effectus, sibi proprios, edit. Cur vero phænomena hujusce generis, in corpore humano, interdum sese ostendant, non opis est nostræ rite explicare. Utrum necne, verba viri ingeniosissimi JOANNIS HUNTER sequentia, huic rei lumen omne, quod desiderari potest, offundant, apud medicos peritos et sagaces judicium esto: "Does not the failure "of inoculation, and the power of resisting ma-"ny infections, arise from the person having, "at same time, some other disease, and there-"fore incapable of a new action *?"

Non improbabile esse videtur, ægrum quemlibet, corpore per diætam valentiorem, potionem meraciorem, incontinentiam, vel quodlibet aliud, debilitato, vim contagionis applicatæ acutius, quam alium diverse affectum, esse sensurum. Quare vero hoc incidit? Nonne

* Vid. Tract. de Lue Venerea, pag. 10.

ne perſpicuum eſt, corpus, ad certum gradum uſque, viribus et vigore nunc deſtitutum, facilius morbidæ cauſæ eſſe ceſſurum ?

Minime poteſt dubitari, quin fœtus omnium animalium, et vegetabilium etiam, ſimul ac nati ſunt, certis cauſis iis applicatis, morbis obnoxii evadant ; et inde magna vitiorum cohors, et mors denique inevitabilis, oriantur. Inſuper diverſæ cauſæ diverſos morbos progignunt, unde profluit magna morborum varietas, qui voluptates generis humani in miſeriam, mœrorem et ejulationem convertunt.

Nulla, me judice, ad variolam proclivitas, aut certa corporis conditio, a qualibet cauſa nociva naturali oriunda, ad actionem contagionis promovendam ſunt neceſſariæ. Namque corpus, omnibus temporibus, donec morbo ſemel laboravit, affici periclitatur. Verba celeberrimi Gregorii ſequentia hoc abunde confirmant: "Nec quiſquam hominum tam firma valetudine, tantoque corporis robore gaudet, quin, cauſis quibuſdam excitantibus admotis, graviſſimos morbos ſuſcipiat. Variola "ſemel,

" ſemel, lues venerea ſæpe, etiam ſaniſſimos " inficient. Venena necant. Caloris nimium " multimodis nocet *."

Itidem vir celebris JOANNES HUNTER ſequentia in medium profert: " But we may, " in general, affirm, that as animals are not " formed naturally with diſeaſe, nor ſo as to " run ſpontaneouſly into diſeaſed actions, diſ- " eaſes muſt always ariſe from impreſſions " made on the body †."

CAUSA PROXIMA.

In modo, quo contagium varioloſum in corpus agat, adeo ut febrim et puſtulas faciat, conſiderando multum operæ curæque poſuerunt medici. Et quidem in primis, ut eum, ad imum fundum uſque, inveſtigare poſſemus, exoptandum foret.

Modus vero, quo pleraque contagiorum corpus in vivum agant, et morbos procreent, eſt res explicatu in primis difficilis, et captum humanum,

* Vid. Conſpect. Med. Theor. tom. i. pag. 25.

† Vid. Tract. de Lue Venerea, p. 10.

humanum, limitibus anguftioribus circumfcriptum, forfitan fuperat, et femper fuperabit.

Si vero ab hominibus, qui fummam famam, in arte medica, et exiftimationem fibi compataverunt, in re dubia, diffentiam ; hoc, uti fpero, lector benevolus, non impudentiæ juvenili, fed veritatis explorandæ amori, candidus referet.

Contagium variolofum maffam humorum circumeuntium naturæ fuæ affimilare, non mihi clare conftat ; nam opinio hujufcemodi varia morbi phænomena minime explicat, et a legibus, quibus œconomia animalis regatur et gubernetur, potius abhorrere videtur.

Namque hodie, ex variis experimentis, in animalia viva inftitutis, compertum habemus, omnes et fentiendi et movendi poteftates a nervis folis pendere, qui imperium, in corpus univerfum, fummum exercent. Hoc eo ufque invalefcit, ut mutationes morbidæ, partibus remotioribus illatæ, ab impreffionibus per nervos cum corpore communicatis proficifcantur, et partes laborantes fecundario tantum afficiantur.

afficiantur. Quinetiam nihil certius eſt, quam quod, per interventum ſyſtematis nervoſi, omnes, quotquot ſunt, impreſſiones nocivas, ſive hæ ſint contagiones, injuriæ externæ, ut vulnera, contuſiones, lacerationes, &c. ſentimus. Hæc notio verbis MONROIANIS ſequentibus ex toto confirmatur: "We know, for certain, that, through the medium of the nerves, we are rendered ſenſible inſtantly of injury done to the moſt diſtant parts of our bodies *."

Vir eruditiſſimus MEADIUS de effectibus, quos venena et contagia in corpus humanum vivum edant, in modum ſequentem, diſſerit: "For we muſt obſerve likewiſe, that although the firſt impreſſions of the poiſon be made on the nervous ſpirit; yet the whole maſs of blood ſoon partakes of the hurt: not I ſuppoſe, from a mixture of the venom with it; but from ſuch a corruption of it, as an irregular circulation, interrupt-

* Vid. Obſerv. de Syſt. Nerv. p. 15.

“ ed ſecretions, and ſtagnations in the ſmall-
“ eſt blood-veſſels may naturally produce *.”

Hæc quidem MEADII celeberrimi opinio, omnia nempe contagia et venena genus in nervoſum agere, a vero non longe abludere videtur.

Quo attentius varia ſigna, quæ, per ſtadia hujuſce morbi ſingula, ſeſe in conſpectum dant, contemplor, eo magis, ut huic doctrinæ fidem habeam, animus mihi inclinat. Præterea, variolam eodem modo, quo febres aliæ contagioſæ, invadere notamus. Et haud dubie, hac ratione inductus, variolam in claſſe Pyrexiarum, et ordine Exanthematum, collocandam curavit CULLENUS ſagaciſſimus.

Horror rigorque quoque, capitis dolor, languor, debilitas, nauſea, vomitio, tremores, paroxyſmi epileptici, in pueros invadentes, proclivitas ad ſomnum, ſtupor et coma adultorum, genus nervoſum, in variola, magnopere affici et turbari abunde teſtantur.

Hoc in loco, non ſilentio prætereundum eſt, ad ultima, in variola conflictantibus, die octavo,

* Vid. Oper. p. 24.

tavo, undecimo, decimo quarto, et decimo ſeptimo, perveniri ſolere. Eodem tempore, eodemque modo, judicari conſueverunt pleræque febrium contagioſarum. Ex hiſce concludi poteſt, ſanguinem, in variola, non magis, quam in febribus modo comprehenſis, vitiari et corrumpi. Huic opinioni ſubſcribit doctus MEADIUS, qui illas febres finem funeſtum prius habere, quam ſanguis, ulla ex parte, mutatus ſit, memoriæ prodit: "The "porters," inquit ille, "who opened the in-"fected bales of goods in the Lazarettos of "Marſeilles, died, on the firſt appearance of "the infection, as it were by a ſudden ſtroke, "being ſeized with rigors, heart-ſickneſs, "tremblings, * &c." Poſtea ſequentia ſupra poſitis adjicit: "That, goods being brought "from Grand Cairo, when the plague raged "there, to Alexandria, on opening one of the "bales of wool in a field, two Turks, employed "in the work, were immediately killed; and "ſome

* Vid. Oper. p. 252.

" ſome birds, which happened to fly over the " place, dropped down dead *." Inſuper refert: " At the black aſſize at Oxford, held " in the Caſtle there, at which the judges, " gentry, and almoſt all that were preſent, " to the number of 300, were killed by a " poiſonous ſteam, brought by the priſoners " out of the priſon into court; it being obſer-" ved, that they alone were not injured by " it†."

Ingenioſiſſimus GREGORIUS, in prælectionibus ſuis, exemplum, huic non diſſimile, memoriæ poſterorum tradit, quod Londini, in foro juridico, incidit: Quadraginta viri, captivorum, e carceribus in curiam rebus capitalibus dirimendis deſtinatam productorum, miaſmatis infecti, febre graviſſima putridaque correpti ſunt.

Ante tempus quidem longiſſimum, neminem rei medicæ peritum fugere potuit, aliquid putridum extraneumve, in vaſa animalium vivorum, quæ ſanguinem vehunt, immiſ-

ſum,

* Vid. Oper. p. 268.

† Vid. Oper. p. 281.

ſum, mortem, brevi, illis plerumque inferre. Lac etiam, alimentum blandiſſimum, et ex omnibus fluidis, quæ poſſunt memorari, ſanguini humano ſimillimum, idem præſtitit. Eundem effectum quoque aër edidit.

Inſuper aër communis, in cava corporis diverſa admiſſus, aut ad ullos muſculos patefactos adſpirans, perniciofiſſime egit. Quilibet chirurgus, artis propriæ peritus, qualia pericula infortunia hujuſcemodi comitentur, optime novit.

Quinetiam, ſi experimentorum eventus ullum lumen huic rei, nempe mutationi morbibidæ, hoc in morbo, humoribus illatæ, offundere permitteretur: ægros e vita, citius etiam, quam ſupra fuit comprehenſum, emigraturos eſſe, concludi poſſet; et non, cum materia morbifica ad ſuperficiem uſque jam fuiſſet propulſa. Namque, rebus hoc modo ſe habentibus, corpus periculo carere, veriſimillimum eſſe videtur.

Anatomicus, jure celeberrimus, MONROIUS, in prælectionibus ſuis, enarrat, ſe guttam aquæ,

* Vid. Diſſert. Inaug. Doc. SEYBERTI, Philadelph,

quæ, opio admiſtæ, in aortam raninam injeciſſe, et convulſiones, momento, in corpus animalis univerſum, ſemet diffudiſſe. Idem vir præclarus, arterias venasque fibris muſcularibus inſtructas eſſe, clariſſime demonſtravit. Compertum autem habemus, inflammationem vel ſpaſmum ullum acre, partibus ita ſenſilibus, ut membranæ narium, tracheæ, ventriculo, inteſtinis, oculis, &c. admotum, ſpatio breviſſimo, excipere ſolere. Inſuper hæ partes contactui materiæ externæ magis, quam ſuperficies vaſorum ſanguiferorum mollis et tenera, aſſuetæ, ullo ſtimulo iis admoto, citiſſime ac violentiſſime afficiuntur.

Vir, inprimis ingenioſus, JOANNES HUNTER, ſuis in prælectionibus, refert, ſe virus, et variolæ et lui venereæ proprium, per ſanguinem utroque morbo laborantium, cum nonnullis communicare fuiſſe conatum; ſed rem non votis ſuis reſpondiſſe. Igitur ſanguinem contagio non inquinari ſolere, alioquin morbus, in hiſce exemplis, fuiſſet ortus, probabile eſſe videtur.

Silentio

Attentionem noſtram fugere non debet, puſtulas nunquam, in ullis corporis cavis, ſemet oſtendere; et nullos dolores, morbo progrediente, interne ſentiri, unde, eas viſcera et cava diverſa infeſtare, ſuſpici poteſt*.

Exploratum eſt neminemque latet, humorem certum e maſſa ſanguinis generali in corporis cava conſtanter effundi. Si vero hæc maſſa aſſimilaretur, aut quolibet modo per virus varioloſum inficeretur; ratio graviſſima non deeſt, cur concludamus, vaſa exhalantia, parvula ac molliora, humorem contaminatum, inflammatione graviore, et forſitan exitioſa, non excitata, tranſmittere non valitura eſſe.

Hoc in morbo, vaſcula cutis veræ ſunt perquam irritabilia; quod hinc plane apparet, quoniam meſſis papularum multo copioſior, emplaſtro ſtimulante cuilibet parti applicato, vel

* Vid. COTUNNII Tract. de Sede Variolæ.
Item TISSOT, Tract. de Variola.
Item Doc. WALKERI Tract. de Variola.

vel cute ipſa calidiore conſervata, ſemet in conſpectum dare conſuevit.

Actio autem horum loco omnino propria eſt, et nullam ab hiſce partibus revulſionem facit, quod nobis evidenter manifeſteque probat, effectum hujuſce contagii in vaſa cutanea potiſſimum, et violenter quidem, edi.

Inſuper, ſi cutis contagio varioloſo magnopere, et multo magis, quam reliquæ corporis partes, affici non concludatur, et, ſi affectus ſuperficiei corporeæ a vitio ſanguinis univerſo oriatur, quid, quæſumus, poteſt obſtare, quo minus ſuperficies omnium cavorum internorum æque, ac partes corporis externæ, afficiatur, cum et hæ et illa cauſis, ex æquo irritantibus et excitantibus, plane objiciantur?

Quantum ad ſanguinem ipſum attinet, nulla omnino mutatio ei illata eſſe hactenus fuit notata, ſi cruſtam coriaceam ſolam excipias, quæ ei, per decurſum febris, et ante et poſt eruptionem, innatat*. Quinetiam compertum

* Vid. Doc. BOERHAAVII Aph. 1384.
Item Oper. Doc. SYDENHAMII, tom. ii.

tum habemus, hanc in omnibus morbis febribus, qui inflammationem habent, et in nonnullis ex iis, qui a contagione proficiſcuntur, ſemet oſtendere. Præterea exercitationem acriorem, quæ motum ſanguinis magnopere intendit, aliquando ſubſequitur.

Modus quoque, quo papulæ in cute primum oriuntur, attentionem noſtram meretur. A rubore et dolore incipiunt, deinde tumeſcunt, et tandem, aliquot diebus elapſis, in modum aliorum tumorum phlegmonodeorum, ſuppuratione finiuntur. Quantum vero opinionem celebris De Haen ſpectat, pus nempe in vaſis ſanguiferis formari, et ex iis poſtea ſecerni, ea, uti omnes norunt, jamdudum convulſa eſt.

Medicamenta quoque, quæ ad gravitatem hujuſce morbi levandam conferunt, caute attenteque ſunt conſideranda. Ea autem, quæ ſubſequuntur, plurimum proficere ſolere experientia docet, aëra nempe frigidum, liberaliter adhibendum, laxantia, &c. per ſtadium primum; vinum, corticem Peruvianum, et alia to-

nica et ſtimulantia, quibus adjungi debent antiſeptica, iis in caſibus, qui ad putredinem vergunt. Quam ob cauſam vero hæc præcipiuntur? An conſilio actionibus morbidis, in ſolido vivo, occurrendi; aut ullum proceſſum, in ſanguine jam inceptum, præcavendi? Effectus autem remediorum hoc genus tam accurate hodie intellecti ſunt, ut nunquam ulli proceſſui incepto obſiſtere, aut partes morbidas a ſanis diſjungere, poſſint judicari.

Nonne probabile eſſe videtur, omnia contagia, quibus aër, ægrotantibus circumdatus, contaminatur, in papillas narium nervoſas, et eas ori, tracheæ, pulmonibus, et forſitan etiam æſophago ventriculoque, proprias, effectus ſuos morbidos edere?

Quiſnam eſt, qui a capitis dolore, nauſea, vomitione ſigniſque ſimilibus vacat, odoribus nocivis et ingratis narium oriſque nervis admotis? Nonne febres tam ſubito ſæpe oriuntur, ut eas non aliter, quam per interventum ſyſtematis nervoſi, moveri poſſe planum perſpicuumque ſit? Exemplum hujuſcemodi, in

Noſocomio

Nofocomio Regio Edinenfi, femet oftendit; in quo, in cadavere admodum putrido incidendo occupati febre fubitanea fuerunt correpti *. Cafus huic fimillimus, Philadelphiæ, fuit notatus; in quo etiam juvenis, qui cadaveri ad putredinem nimis vergenti diffecando operam navabat, in febrim violentam protinus incidit, et, pauculis diebus, animam exhalavit. Quinetiam exempla quædam in libro viri ingeniofiffimi RUSHII Philadelphienfis, qui de febre icterode confcriptus eft, generis omnino ejufdem, reperiunda funt: "I met with fe-"veral cafes," inquit ille, "in which it, *viz.* "contagion, acted fo, as to produce fever, "on the fame day, in which it was received "into the fyftem; and I heard of two cafes, "in which it excited ficknefs, fainting, and "fever, within one hour, after the perfons "were expofed to it †."

Infuper attnetionem noftram non fugere debet, variolam, etiam poft infitionem, non prius

* Vid. WALKER, de Variola.

† Vid. Tract. de Feb. Icter. p. 27.

prius accedere, quam pars, cui pus variolosum insertum fuit, inflammationem subiit. Quinetiam vir clarissimus, JOANNES HUNTER, memoriæ posterorum tradit, hunc morbum, si pars, quam inficere velimus, die quarto, vel etiam ante inflammationem secundam, excidatur, non oriri solere. In eandem sententiam quoque, concessisse videtur illustrissimus MONROIUS; namque contagionem variolosam, in sanguine, non multiplicari existimat.

Neminem, qui ullum progressum laudabilem in medicina fecit, latere potest, insignem et universum, inter partes corporis diversas, consensum intercedere. Nonne igitur in primis probabile esse videtur, omnes corporis partes, in variolosa insitione etiam, præsertim parte, quam viro imbuere fuerimus conati, inflammata et morbida reddita, consensu universo, modo posito, affici posse?

MONROIUS clarissimus sequentia profert: "As opium, after the circulation ceases, affects organs, distant from those, to which it is applied, it is beyond doubt, that the lat-

"ter

"ter ſuffer, in conſequence of ſympathy of "nerves*."

Inſuper e memoria nobis non excidat, et medicamenta et venena in corpus humanum quam maxime ſubito agere. Hujus exemplum luculentiſſimum, in fumo nicotianæ, in os cujuſlibet, eo uti non aſſuefacti, inflato, habemus. Namque, ſpatio temporis breviſſimo, et antequam ad ſanguinem accedere poteſt, vertiginem, nauſeam, vomitum, et magnam ſignorum febrilium cohortem, movere ſolet. Hoc phænomenon autem non aliam explicationem recipere poteſt, quam quod fumus in papillas oris nervoſas recta agit, et deinde motus, quos fecerit, morbidos in ſyſtema univerſum diffundit.

Tartarum emeticum quoque, ventriculo receptum, actionem, quam excitat, morbidam cum ſuperficie et reliquis corporis partibus ſubito communicat.

Multa alia exempla, hiſce non abſimilia, in medium facile proferre poſſumus; ſed adducta ad rem, de qua agitur, illuſtrandam ſuffi-

cere

* Vid. Obſer. de Syſt. Nerv. p. 10.

cere credimus. Idcirco reliqua ſilentio præteribimus.

An aliquid certius eſſe poteſt, quam omnia hæc medicamenta aut venena, antequam in maſſam humorum circumeuntium, ullo modo, ingredi poſſunt, effectus, ſibi proprios, in corpus humanum edere?

Quam repentini, quam mirabiles motus ab una corporis parte ad alteram, in podagra etiam, ſæpe propagantur! Horum vero naturam rite exponere nondum opis eſt noſtræ.

Si aliquis requirat, ut puſtularum, quæ in ſuperficie corporis oriuntur, rationem claram reddamus, nos huic muneri explendo ex toto impares eſſe lubenter confitemur. Namque qui eas legibus œconomiæ animalis conſtitutis, quarum notitiam plenam habere nequeunt, ii nihil aliud, quam nugas meras proſequuntur.

Non ſatis admirari poſſumus, quam certo et conſtanter omnia contagia, humanis corporibus admota, certas eorum partes et definitas afficiant, et violentiam ſuam in eas exerceant; quamvis poſtea, ut omnes norunt, ſyſtema uni-

verſum

verſum effectuum morbidorum ſecundario particeps evadere periclitatur.

Cum mutationes diverſas, quas multæ cauſæ ſingulares, corporibus noſtris applicatæ, iis inferant, et mirabilem celeritatem, qua agant, mecum attentus conſidero, mihimet in animum induxi, quæſtiones, quæ ſubſequuntur, proponere.

Nonne contagio varioloſa, per impreſſiones in nervos extremos factas, in corpus humanum agit, et, per interventum horum, omnes reliquæ partes afficiuntur?

Nonne phænomena tetani, auræ epilepticæ, et etiam epilepſiæ ipſius, ab imitatione animique affectibus profiſciſcentis, huic notioni favent?

Nonne effectus quorundam medicamentorum, quæ certas corpori actiones morbidas inferunt, ſubitanei huic hypotheſi quoque favent?

Num memoria malorum miſeriarumque, quæ aliquis fuerit perpeſſus, tenax, quam appetitus langueſcens, ictus arteriarum debiles,

et

et valetudo parum commoda ſoleant excipere, huic opinioni adverſari videtur?

Nonne phænomena hypochondriaſis, melancholiæ, maniæ, et etiam pervigilium, quod valetudine commodiſſima fruentibus dolorem capitis et nauſeam movet, rem ita ſeſe habere probant?

Nonne phænomena morborum, modo comprehenſorum, et omnium quidem aliorum, qui contagione vulgantur, et ea quoque, quæ mente concipimus, quibuſnam legibus obſcuris intellectuque difficilibus ſyſtema, et hominis et aliorum animalium, adminiſtretur, et quot modis diverſis quotque variis cauſis afficiatur, aperte planeque demonſtrant?

Qua ratione denique vim, quam contagium varioloſum febreſque, a contagione ortum ducentes, in corpus humanum edant, quam eam ab impreſſionibus, in nervos extremos factis, et inde ad partes ſyſtematis remotiſſimas uſque diffuſis, cum eodem communicari, ponendo, melius clariuſque exponere valebimus?

PROGNOSIS.

Fositan nullus alius morbus eſt, cujus eventum certius, quam variolæ, præſagire poteſt medicus. Species diſcreta plerumque parum periculi habet. Si vero puſtulæ in facie ſint numeroſæ, et ſigna febrilia graviora diu maneant, et, eruptione abſoluta, non remittant; præſertim, ſi, die octavo undecimoque, intendantur, in aliquo periculo verſatur ægrotus. Variola diſcreta vero, pleriſque in exemplis, licet ſigna aliquando minacia ſint, exitum fauſtum habet.

Sin, contra, variola confluens adſit, ægrotus nunquam periculo vacat; præſertim, ſi febris, quæ eruptionem antecedit, violentior ſit, et ad naturam typhi accedat, et æger infirmus debiliſque ſit. Idem, ſi papulæ faciei aliarumque corporis partium numeroſiores ſint, pronunciari poteſt.

Cum febris, poſt eruptionem, non remittit, ſed priore tenore perſtat, et, die octavo nonoque, ingraveſcit; cum tumor faciei et corpo-

ris magnus eſt, et ſputum copioſum ſed, brevi, ceſſant; et vires ægrotanti convulſæ ſunt; nihil, præter exitum funeſtiſſimum, ſperandum. Quinetiam delirium et coma graviora mala ſunt.

Paroxyſmi epileptici, ſemet, die morbi primo oſtendentes, finem morbi parum fauſtum portendunt; et interdum miſellos, ante eruptionem, rapiunt.

Si ægri tempore, quo puſtulæ matureſcunt, rigoribus frequentioribus corripiantur, eventus morbi plerumque reformidandus eſt, et prædici poteſt ad ultima fere jam ventum eſſe. Non pauca hoc genus exempla vidi, et, in iis, omnes ægri diem ſupremum obierunt.

Petechiæ denique, maculæ eryſipelatoſæ; veſiculæ, inter puſtulas, cuticulam a cute vera disjungentes eandemque elevantes, magnum periculum ſubeſſe denunciant.

RATIO MEDENDI.

In primis opus eſt, ut medicus morbum, ſub ipſa prima initia, ab omnibus aliis, qui ullam

cum

cum eo ſimilitudinem habent, accuratiſſime ſecernere valeat; namque morbo venienti, et nondum vires plenas ſibi adepto, occurrere, quam contra gravitatem ejus, quolibet tempore poſtero, pugnare, multo tutius efficaciusque eſt. Primus ictus, ut adagium vulgare habet, in quolibet prælio, dimidium fere victoriæ eſt.

In primo morbi ſtadio, aëra frigidum purumque ad corpus ægrotantis liberaliter adſpirare permittere ſummi quidem momenti eſt; et in hoc medulla praxeos hodiernæ conſiſtit. Rem ita ſeſe habere teſtantur opera omnia medicorum illuſtrium, qui plurimum operæ curæque, in hoc argumento inveſtigando, poſuerunt, et plurimum luminis ei offuderunt, quique inde ſummam claritudinem, in arte Hippocratica, ſibi merito compararunt. Quantum hocce, quo vivimus, ſeculum immortali Sydenhamio debet, et quantum ſecula futura, quotquot, ante decurſum temporis ad finem perductum, exiſtent, debebunt, qui primus, omnibus fere æqualibus invitis, aut revera et aperte ei adverſantibus, regimen antiphlogiſticum

cum, cum ſumma laude ſua, in uſum revocare auſus eſt !

1. *Aër* autem *frigidus* vim ſedantem exerere, et igitur diatheſin corporis phlogiſticam diminuendo, et numerum puſtularum nimium, qui multis mortalium millibus exitio certiſſimo eſt, præcavendo, agere videtur.

Plurimos ægrotantes vidi, qui febre eruptionem præcedente graviſſime laborarunt, quos, e lecto exemptos, omni ſigna violentiora protinus deſeruerunt.

2. *Cathartica*.—Hæc ſunt medicamenta in primis utilia. Illam corporis conditionem tollunt, quæ ad puſtulas numeroſiſſimas progenerandas tantopere facit. Ea, per prima morbi ſtadia, dare omnino convenit. Nec uſu eorum, per ſtadia ejus poſteriora, abſtineri debet ; quoniam primas vias omni materia fœtida, quæ ibi accumulata eſt, et morbi gravitatem intendere periclitatur, omnino liberant. Quo leniora ſunt, eo minus ſyſtema irritabunt, et eo minus moleſtiæ ægroto infelici, qui vix ab uno loco ad alium poteſt moveri, faceſſent.

Hæc a medicis ſummæ famæ et exiſtima-

tionis

tionis laudibus maximis ſublata fuerunt. Ad ea, ſucceſſu cum proſperrimo, decurſum eſſe teſtantur viri clari, FRIENDIUS, MEADIUS, &c. Per ſtadia variolæ confluentis provectiora, me judice, periculo non carent, ob magnam debilitatem, quæ, eo tempore, invaleſcit. Igitur, rebus ita ſe habentibus, nullo alio conſilio, quam ut inteſtina fæcibus putridis aut induratis liberentur, adhiberi debent.

3. *Acida.*—Hæc, hoc in morbo, meritiſſime præſcribuntur; quoniam, omnia ſigna febrilia compeſcendo, plurimum proficiunt. Potionem frigidam acidamque, frequenter adhibitam, evidentiſſime prodeſſe vidi. Nec aliquid, hoc potus genere, ægrotantium palato gratius acceptiuſve eſt.

4. *Sanguinis Detractio.*—Hæc, per primum morbi ſtadium, nonnunquam perquam neceſſaria eſt; potiſſimum, ſi ægrotus plenitudine nimia laboret, et febris inflammationem habeat. Conditio vero ægrotantis, quouſque in uſu hujus debeat procedi, optime monebit; nec prudens ſagaxque medicus, in re hujuſcemodi, facile poterit falli.

5. *Re-*

5. *Refrigerantia.*—Ex his præcipua ſunt acida et ſales medii. Acidum vegetabile expreſſum, per omnia hujuſce morbi ſtadia, cum commodo ſummo, adhiberi poteſt. In hoc aliiſque morbis, inflammationem habentibus, reniſum ſyſtematis violentiorem compeſcendo, multum auxilii ægrotanti adferre poteſt. Alii quoque ſales medii, eodem conſilio, et forſitan cum ſucceſſu proſpero, in uſum revocari poſſunt.

6. *Emetica.*—Si ægrotus nauſea et vomitione infeſtetur, et ventriculus magnopere perturbari videatur, ad emeticum mitius forſitan, rebus ita ſe habentibus, confugere conveniet. Cæterum, utrum necne dolor ab inflammatione ventriculi proficiſcatur, anxie inveſtigari debet. Namque, ſi res ita ſeſe habet, ſummæ et indubitabili injuriæ foret.

7. *Opiata.*—Hæc autem, in omnibus, et variolæ diſcretæ et confluentis, ſtadiis, ſunt neceſſaria. Illum dolorem ingratiſſimum, qui ſuppurationem comitatur, levant, et ad ſomnum ægroto comparandum magnopere conferunt.

runt. Hæc SYDENHAMIUS, medicinæ hodiernæ decus, ſummo in honore habuit, et, in omnibus caſibus, et variolæ diſcretæ et confluentis, gravioribus, ſummis laudibus ornavit. Nullum medicamentum, quod tota materia medica comprehendit, cum opio comparandum, multo minus ei anteponendum, ſi utilitatem, quæ, hoc in morbo, inde profluat, rite conſideres. Si alvus, uſu ejus, adſtricta evadat, enematis emollientibus ſolvatur.

In variola confluente, ſi magna debilitas adſit, ſi æger morbo extingui periclitari videatur; ſi puſtulæ planæ depreſſæque maneant, nec rite eleventur, vel elevatæ ſubito ſubſidant; ſi hæmorrhagiæ, vel alia ſigna formidoloſa urgeant; ſine mora, ad remedia ſequentia, vinum quodlibet generoſum, chinconam, aëra frigidum, opium, acida, et alia medicamenta corroborantia et antiſeptica, quæ omnia copioſe liberaliterque ſumenda ſunt, protinus decurratur. Nulla ſunt medicamenta, quæ vino Hiſpano opioque, modice ſumptis, finem variolæ verſus, præſtant. Venerabilis

nerabilis et eruditiſſimus BOERHAAVIUS, ſe nullum remedium, ſi hæc, modo poſita, contra gravitatem morbi non efficacia forent, noviſſe, quod votis medicorum reſponderet, affirmat.

Per ultimum morbi ſtadium, ut epiſpaſtica et ſinapiſmi adhibeantur, ſuadent pars medicorum maxima. Quantum illa ſpectat, plus periculi, quam commodi, ſæpiſſime attulerunt. Quod vero ad hos attinet, plantis pedum admoti poteſtatem ſtimulantem edere, et vires ſyſtematis langueſcentes in actionem novam rurſus ciere dicuntur. Si vero auxilium non aliunde peti poſſit, et natura, ſine hac ope, ægrotum conſervare nolit, de miſerrima mortis victima actum conclamatumque eſt. Si guttur vero inflammatione, vel tumore, afficiatur, epiſpaſtica ei protinus admoveantur; et eodem tempore, gargariſmata detergentia, quæ forſitan ſigna levabunt, in uſum revocentur.

Ægrotus, aëri frigido puroque conſtanter, objiciatur; potio frigida copioſe ſumatur; morbo conflictans ab omni immunditia immu-

nis

nis conſervetur; fœces, cum primum excernuntur, e cubiculo ægrotantis, momento, tollantur; ſtragula ſæpe mutentur; et conclave, in quo decumbitur, perflatum liberum habeat, et acidis fermentatis, in ſtatum evaporationis redactis, ſæpiſſime ſuffumigetur.

Omni ratione, quæ poteſt adhiberi, tranquillitatem animi ægrotantis conſervare conemur, et ſpes ejus ſalutis erigatur et foveatur.

Non pauca remediorum, quæ huic morbo conveniunt, recenſuimus; ſed multa alia in ſcriptis medicorum reperiunda ſunt, quæ brevitas inſtituti nos, ex toto, præterire cogit.

Hanc diſſertationem ad finem perducere nequeo, quin gratias Profeſſoribus Academiæ Edinenſis eruditiſſimis maximas habeam, a quorum prælectionibus excellentiſſimis ſummum fructum percepi. Omni moleſtia et anxietate, quæ mortales nimis frequenter exercere ſolent, per decurſum vitæ longiſſimæ, ex toto careant; et Academia, per ſpatium annorum quam maxime diuturnum, laboribus eorum adjuta et ſuſtentata, gloriæ priſtinæ tenax, florere pergat.

FINIS.